

iratus adversarius eum de caede praemeditata apud Areopagum arcessit. Habemus rei orationem alteram, cui cum narratio desit res paullo obscurior est cf. Herm. XIX 90. Aliquanto differunt Blaschke de antidosi 21, Illing de antidosi 23. De tempore nihil traditur.

Or. V. Calliae ex servorum indicio apud iudices heliastas criminis gravissimi reo (*ἱεροσυλίαν* in inscriptione legimus), seni inquilino, qui per multos annos Athenis mercaturas faciebat, amico paterno post alios civis aliquis hac oratione auxiliatur, quam mancam esse credideris, et quod preces desunt et quod in libro Palatino folia duo hoc loco interierunt, cf. Sauppe epist. crit. 7.

Or. VI. Andocides orator, dum Hermocopidarum causa agitur in vincula coniectus, indicio facto servatus est, sed paullo post Isotimidis populiscito, quo *εἰργεσθαι τῶν ἱερῶν τοὺς ἀσεβήσαντας καὶ ὁμολογήσαντας* imperatum est, urbe cedere coactus Cypri maxime degens mercaturam exercebat. Bis deinde (annis 411 et fere 407) frustra in patriam redire conatus tandem anno 402 amnestia fretus Athenas revertit. Paucis annis post a Cephisio, Epichare, Meleto, quod Cereris sacra violasset, per *ἐνδειξιν* arcessitus est, qua de re rege archonte auctore heliastae mysteriis initiati iudicabant (anno 399). Orationem vero, quae deuterologiae speciem prae se fert, Lysiae non esse constat. In iudicio tamen habitam existimant Hoelscher, de vita etc. 56, Kirchhoff Herm. I 7, Blass Att. Ber. I² 566, Bergk Lit. Gesch. IV 356, Roegholt, Ps. Lysiae oratio contra And. 9, ex quibus Hoelscher Meleto, Bergk et Roegholt Theodoro Byzantio eam tribuunt coll. Suid. s. v. *Θεόδωρος* cf. E. Drerup Jb. f. Phil. suppl. XXVII 338 et Val. Schneider ib. 354. A rhetore aetatis inferioris confectam iudicaverunt Ruhnken hist. crit. 50, Sluiter lect. And. 166, Francken lect. Lys. 43, a rhetore aetate suppari orationis forensis speciem imitato conscriptam Lipsius arbitratur praef. Andoc. X cf. Weber, de Lysiae fertur contra Andocidem oratione, diss. Lips. 1900, I. Bruns, Lit. Portr. der Griech. 479. 521. Epitomen denique esse vult Zutt, Progr. Mannheim 1891.